



**05  
A  
1334**



De  
QVÆSTIONE ETHICA:  
**Qvousq; Violentum**  
& Ignorantia Actiones homi-  
num Invitas reddant &  
excusent?

*Ad diem V. Aprilis, DEO dante,*  
publicè disputabunt  
PRÆSES

**M. JOHANNES GÜSSLER /**  
&  
RESPONDENS  
**CONSTANTINUS ZYEGRA /**  
WITTEBERGA-SAXO.



WITTEBERGÆ,  
Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. LXXVI.



05 A 1334



## CUM DEO!

### §. I.

Ogitanti mihi, qvamnam seligerem materiam, in qvâ ingenium meum exercerem, commodè hæc, qvam Rubrum Disputationis meæ sifit, in mentem veniebat. Ea enim multum momenti conferre ad Jurisprudentiæ studium, ad qvod in posterum animum, DEO clementer annuente, sum applicaturus, videtur. Nam qvid familiarius est hominibus, de delicto aliquo accusatis, qvam qvòd invitatos se id fecisse, & vel vi ad illud esse adactos, vel ignorantia inductos dicant? Multum igitur interest, Judicem, aut eum, qui in foro causas agit, ex civili Prudentiâ tenere, qvousque cum violentiæ, tum ignorantia excusatio se extendat. Alias enim & vim Legibus særissime inferet, & injustum feret judicium. Adsit modò cœptis meis ex alto Numen Divinum, efficiatque, ne materiam hanc pertractandô aut vim adhibeam veritati Philosophicæ, aut ignorantia nebulis involvar. Qvod si ab ipso impetravero, nunquam laudes ejus commemorare desinam.

### §. II.

Ut autem de toto hoc negotio melius judicari queat, ante omnia, qvid & qvotplex sit Violentia, qvid & qvotplex Ignor-

A z rantia,

rantia, prælibandum est. Definitur *Violentum* apud Philosophum, quod sit id, cuius principium est extra agentem, ita ut is, qui agit vel patitur, planè nihil ad actionem conferat. Sicuti enim principium Spontanei existit in ipso agente, estq; nihil aliud, quam impulsus appetitus, quod homo, quod gratum ipsi est, persequitur, & quod ingratum, repudiat: ita, vice versa, in Violento homo, contra inclinationem & appetitum suum, à principio aliquo extrinseco, ad agendum compellitur vel movetur. Duæ autem Violenti species communiter constituuntur, *Violentum* nempe merum s. simpliciter tale: & *Mixtum* sive tantum secundum quid tale. Ac prius quidem, quod propriè *Violentum* dicitur, propter fortiorum principii externi vim, jamjam scriptum dedimus; ad quod, sicuti vel ex descriptione constare potest, tria reqviruntur: (1) Ut principium movens sive impellens sit extra agentem, si non semper ratione loci, tamen ratione inclinationis (i. e. contra inclinationem vel impetum internum agentis moveat.) (2) Ut principium illud externum sit satis validum ad perficiendum motum, (quem hic non physicum, sed moralem intelligimus,) sive, ut causa movens habeat majorem vim cogendi, quam, qui cogitur, habet resistendi. (3) Ut Subjectum agens vel patiens nihil adjumenti ad actionem vel passionem conferat, h. e. is, cui vis sit, non consentiat in actionem, aut illam promoveat, aut saltem voluntatem patiënti adferat: sed potius reluctetur, consensum retrahat, in ipso actu assidue reclamat, & actionem, quam poterit, impedire conetur. *Violentum* autem *Mixtum* sive secundum quid tale est, in quo partim vis aliqua extrinsecus, partim intrinsecus ipsa voluntas ad agendum movent. Exinde enim mixtum appellatur, quia *Violentum* & *Voluntarium* in eo temperantur.

§.3. Hac-

### §. III.

Hactenus de Violentō. *Ignorantia* propriè accepta,  
& qvæ hujus loci est, describi potest per privationem  
scientiæ rerum earundemq; circumstantia-  
rum, in subiecto apto aliàs nato. Quemadmodum  
enim in Spontaneō, ex parte agentis, præter impulsionem  
appetitūs, necessaria est scientia rerum, qvæ aguntur, & omni-  
um eorum, qvæ res circumstant: ita eadem, mutatō rerum  
statu, in Ignorantia abest. Etsi verò variè à Scholasticis di-  
vidi soleat Ignorantia, nos tamen omnes illas divisiones (rea-  
les) ad tria capita commodè referri posse statuimus, si sci-  
licet dispescatur vel ratione principii, vel ratione objecti, vel  
denique ratione consequentis. Ratione principii Ignoran-  
tia alia *invincibilis*, alia *vincibilis* est: Scholastici involunta-  
riam & voluntariam appellant. Illa provenit à principio ex-  
terno, qvod vel non est in nobis, aut, ubicunque sit, nostrâ  
tamen culpâ non existit. Hæc oritur à principio externo,  
qvod in nobis existit, ac nostrâ qvidem culpâ, cùm per vo-  
luntatem eō facile poteſſemus carere. Objecti ratione est  
vel *Juris*, vel *facti*. *Ignorantia Juris* vocatur,  
ubi nescimus, quid justum, honestum, deco-  
rumq; sit, quid fugiendum, quidve sequen-  
dum. Et hæc rursus distinguitur in *Universalem*, &  
*Particularēm*. Prior denuo est vel *Juris Naturalis*, quando  
Naturæ leges, vel *Juris Positivi*, quando generales cujusdam  
Regis aut Principis constitutiones ignorantur. Posterior  
est, qvâ ignoramus speciale aliquod Magistratus edictum,  
certum duntaxat casum respiciens. *Ignorantia facti*

A 3 est,

est, ubi non ignoratur, an aliquid justè, an  
injustè fiat; sed ubi singulares quædam cir-  
cumstantiae, in quibus omnis actionis vis po-  
tissimum consistit, ignorantur. Tandem respe-  
ctu consequentis alias ignorantiam consequitur voluptas, a-  
liam sequitur vel dolor, vel pænitentia; pro qvorum conse-  
quentium varietate & ipsa ignorantia variat.

#### §. IV.

Hæc ita strictim adduxisse sufficiat. Nunc ad rem ipsam  
veniamus. Primum igitur *Violentum merum*,  
sive simpliciter tale ubiqz actionem externam in-  
vitam reddit, & moraliter tum à pœnâ, tum et-  
iam à culpâ *excusat*: si scilicet adsint omnes circum-  
stantiae, qvas ad ejusmodi violentum reqviri suprà diximus.  
Qui enim ita agit, is planè nihil ad actionem moraliter (phy-  
sicè enim concurrere aliquo modô potest,) confert, sed in  
ea nudè tantum, citra appetitum suum, movetur: qvare  
etiam, qvæsi aliquid egisset, accusari nequit. Sic Judæi illi,  
qui jussu Antiochi Tyranni, hederâ coronati, per lictores  
summâ violentiâ ad Bacchi sacrificium pertrahebantur, de  
qvo II. Maccab. VI, 7. legere est, criminis alicujus rei haud  
habendi sunt. Ita & nemo pœnâ vel multâ dignam judi-  
care debet mulierem, qvæ stuprum violentum contra volun-  
tatem suam perpetra est: qvale qvid accidit Lucretiæ, filiæ  
Tricipitini, & uxori Collatini, sicut refert Livius, Dec. I.  
lib. I. & qvale qvid experiuntur honestæ virgines & matro-  
næ, cùm urbs aut regio aliqua vi expugnatur. Fœdisimo-  
rum

rum enim hostium libidinibus corpora sua polluere coguntur, & si vel maximè totis contrà nltantur viribus, cedere tamen necesse habent causæ illi externæ, & admittere tandem amplexus ejusmodi, minus jucundos atque gratos sibi existentes. Si autem unum ex requisitis adductis desit, tunc statim actio invita esse desinit, nec excusationem amplius meretur. Occidat, verbi gratiâ, aliquis alterum ex irâ, quam concepit in pectore, invitam dicere actionem non debes, nec eam excusare potes, quia principium ejus est in ipso homine occidente. Adegit enim ibi appetitus sensitivus voluntatem, (adversus quam toties rebellat, cum hæc in illum non servile, sed civile imperium exerceat, sicut magnus illæ Stagiræ alumnus loqui amat,) ut committat aliquid, quod ab honestate & rectâ ratione aberrat. Aut trahatur aliquis sive in lupanar sive in cauponam abs hominem longè imbecilliori, quam ipse est, rursus non invita fit actio, aut excusatione digna, quia qui trahebatur per firmum corporis robur resistere poterat. Vel denique inferatur stuprum alicui Virgini, detestanti quidem externo gestu factum turpe, interno tamen motu, propter voluptatem, quæ exinde redundat, in illud consentienti, ita, ut, juxta communem versiculum,

*Actio displiceat, passio grata siet,*

iterum & invitum & excusationis praetextus exsulant, quia Virgo voluntatem patiendi habuit.

### §. V.

Deinde *Violentum Mixtum* sive secundum quid tale actionem magis voluntariam, quam invitam reddit. Digiadiantur evidem

qvidem inter se Civilis Prudentiæ Doctores , utrum actiones istiusmodi , qvæ partim à vi externâ , partim ab interno voluntatis consensu proficiscuntur , & Mixtæ communiter appellantur , Spontaneis , an verò potiùs Invitis adnumerari debeant . Et sunt , qvi Aristotelis autoritate nitentes , ad Invitum eas prorsus inclinare adserunt . Verùm si & rem ipsam , & Philosophi verba rectè ponderemus , non usqueqvaque horum sententia erit approbanda . Tenendum itaqve , qvòd actiones illæ considerentur *vel ἀπλῶς & simpliciter , vel ξε-  
νκῶς , sive respectivè* , respectu scilicet circumstantiarum , in primis finis & temporis . Priori modô pro invituis meritò habentur : sed posteriori ratione magis spontaneæ & voluntariæ sunt dicendæ . Exemplis , puto , res fiet manifesta . Exorta sit gravis in mari tempestas , & mercator aliquis , mortis periculum timens , jacturam mercium , qvas ex terris peregrinis navi advehit , faciat : Hic actio qvidem ratione substantiæ suæ est invita , qvia extra hunc casum mercator nunquam merces suas Neptuno consecraret : ratione tamen temporis & finis voluntaria manet . Tali enim tempore mercator , ut salvus evadat , eligit jacturam opum , ne vitæ jacturam faciat . Sic si solvenda est latroni , mortem minitanti certa qvædam pecuniæ summa , invitè sanè ejus solutionem præstat viator : qvia verò isto tempore mavult pecuniam dare , qvàm mortem oppetere , continuò invitum exspirat . Qvamvis itaqve in his actionibus non tantâ , qvantâ in aliis , voluntas gaudeat libertate ; tamen , qvia agenti adhuc datur optio , utrum vitam eligat , an bonorum jacturam , meritò plus Spontaneum , qvàm Invitum easdem participare dicimus .

## §. VI.

Cæterū Mixtæ illæ actiones non similem , sed disparem effectum sortiuntur . Modò enim ob eas accusa-

*cusamur, modò excusamur, modò vituperamur, modò laudamur.* Non *excusamur* tantum, sed & *laudamur*, qvando qvippiam, nobis maximè molestum, vel indecorum etiam, neqvitiae tamen labè non notatum, magni cujusdam mali evitandi causâ, facimus. Pertinent huc exempla de Mercatore & Viatore modò adducta. Item huc spectat actio Davidis, qvi simulavit infamiam apud Philistæos, qvò salutem suam, qvæ apud illos homines periclitabatur, sartam tectam conservaret, *I. Sam. XXI, 13.* Referendi etiam huc, qvi metu pœnæ deterrentur à facinoribus, formidine æternæ damnationis à transgressione Legis divinæ. *Accusamur* & *vituperamur*, qvando, propter malum aliquod evitandum, ingens committimus scelus, qvod aliàs qvemvis honestum prorsus decet. Ut, si qvis, vitæ retinendæ ergò, DEUM abneget, aut patriam prodat. Satius enim longè esset mori, qvàm tale qvid designare. Qvò referendi etiam sunt illi, qvi, dum à morbo planè incurabili volunt liberari, aut infamiam evadere, aut insistentium hostium effugere truculentiam, sibi metipis mortem adsciscunt: qvod ultimum familiare imprimis est navalí præliō decertantibus; qvando enim se vident ab hostibus ita conclusos, ut elabendi non detur copia, beneficiō pulveris tormentarii incensi naves & seipso cum navibus perdunt. *Tandem veniam* & *exculcationem*, extra laudis & vituperii consortium, meremur, cùm atrocissimis doloribus, aut aliis, qvæ humanam ferme excedunt sortem, adacti, minus decorum qvid committimus: verbi gratiâ, si aliquem, armis nos aggredientem, in vitæ discrimine constituti, occidamus. Sic veniam meretur miles, ab hoste captus, qvi, vehementiâ torturæ adactus, Principis sui consilia prodit. Non enim omnes

B

æqvō

æqvō animi robore sunt præditi , ut pares esse qveant tot  
malis ferendis.

## §. VII.

Hactenus vidimus , qvousque Violentum actioni no-  
stræ prætendere qveamus , ut ea vel pro invita habeatur , vel  
excusetur . Nunc alteram , qvæ adhuc restat , telam per-  
texemus , & , qvomodo ex Ignorantiâ nascatur actio invita  
& excusatione digna , expediemus . Tenendum ergò pri-  
mùm , qvòd *Ignorantia Invincibilis* , ( si verè  
talis sit , scil. & in se & in causa sua invincibilis moraliter , )  
*actionem invitam reddat , & eam excuset.*

Nam qvi tali Ignorantiâ laborat , rem ignotam scire non de-  
buit , nec potuit . Ut , propinet qvis alteri vīni poculum ,  
alius verò infundendō veneni qvippiam admisceat , qvod  
mortem exhaustienti conciliet : ibi certè qvi propinavit vi-  
trum accusari non potest , qvia scire non potuit , qvòd vene-  
num vino admixtum sit , fuitq; error sensuum moraliter in-  
evitabilis , & Principium Ignorantiæ planè extrinsecum , & al-  
terius culpâ existens . Tametsi verò , sicut jam dictum , Igno-  
rantia Invincibilis in totum excusat à re ignoratâ ,  
sæpè tamen secundum qvid tantum excusat *ignorantem* ;  
scilicet si agens per tales Ignorantiam det operam rei illici-  
tæ . Exempli causâ scortatus aliquis ingrediatur lupanar ,  
& incidat in fœminam sanguine sibi junctam , ignoret verò ,  
fœminam illam tantâ necessitudine se attingere , adeoq; se  
incestum illi inferre ; ibi qvidem scortator excusat à re  
ignorata , scilicet incestu ; ignorans tamen simpliciter excu-  
sari nequit , qvia rei illicitæ scilicet scortationi studuit .  
Ita Oedipus , qvi Patrem suum per Ignorantiam interfecit ,  
excusat qvidem à parricidio , qvia non habuit animum in-  
terfi-

ōvpt.

8

terficiendi parentem ; non verò ab homicidio, qvia animum  
occidendi hominem attulit.

## §. VIII.

Prætereà attendendum probè est , *Utrum Ignorantiam Invincibilem, vel actionem potius ex tali Ignorantiâ profectam, sequatur dolor, an minùs.* Si concomitantem habeat dolorem & pœnitentiam, invita redditur , & veniam promeretur, qvemadmodum suprà demonstratum est. Si verò post eam, ( cognitô scilicet errore,) non seqvatur dolor & pœnitentia, sed potius consensus atq; voluptas, nec invita est, nec excusatione digna. Qvoniam n. omne illud, qvod invitî rationem habet, contra naturalem inclinationem accidit, doloremq; adfert, actionem istam, qvæ non dolorem, sed voluptatem parit, invitam non dici posse, perspicuum est. Et qvia talis homo delectatur facinore suô , & gaudet, tam benè sortem, qvamvis præter spem, cecidisse, excusari sanè non potest. Exemplum huc spectans refert Plutarchus in libello de tranquillitate animæ, qvòd puerulus qvidam lapide canem petere voluerit, & fortè fortuna novercam, qvam adesse non senserat, percusserit, statimq; dixerit : Euge, non adeò malè cecidit lapis. Utut verò ejusmodi actio , per Ignorantiam invincibilem commissa , sed voluptatem comitem habens, Invita non sit, eam tamen neq; Spontateam appellari posse, absentia scientiæ docet. Excogitavit proinde peculiare nomen Aristoteles, specialiterq; *Non-Spontaneam*, appellavit. Ut enim distincta sunt velle, nolle, & non-velle ; cùm velle actum approbationis simplicis & plenariæ, nolle simplicem & absolutam repugnantiam inferat ; nō non-

B 2

velle

velle autem medium locum occupet, & neq; simplicem & plenariam approbationem, neq; omnino dām repugnantiam denotet: Ita Aristoteles illam actionem Non-Spontaneam dicere voluit, ut actum qvidem approbationis simplicis ab ea excluderet, nec tamen pro absoluta qvadām repugnantia, sed mediō potiūs inter hæc duo eandem haberet.

## §. IX.

*Ignorantia autem Vincibilis*, cujuscunque rei sit, sive eam concomitetur dolor, sive voluptas, nullō modō actionem invitam reddit, aut excusat. Ratio est, qvia talis Ignorantia est voluntaria saltem indirecte. Nam qui eā laborat, poterat illā, si voluisset, carere, & acquirere sibi scientiam, qvæ impeditura fuisset actionem. Qvod autem possumus & debemus scire, id, qvando ignoramus, volentes ignoramus. Ut, si studiosus aliquis nesciat, melius esse, audire Doctores publicos, qvām domi intra privatos parietes studiō se macerare, is ignorantiam habet voluntariam, qvia eā, modō vellet, facile carere posset, si scilicet Viros Doctos in consilium adhiberet. Porrò homo ejusmodi ignorantia laborans voluit principium sive causam Ignorantiae, adeoq; ve is ipsam etiam Ignorantiam, qvamvis *saltem indirecte*, velle censendus est. Sic, si aliquis, probè perspectum habens, se iustō largiūs potum cupidum rixarum esse, nihilominus tamē inebriaret se, ut nec pes neq; mens officium suum facere possint, & per ebrietatem in rixa qvempiam occideret, ignarus post exhalatam crapulam gestæ rei, is peccasset per voluntariam ignorantiam, & sic haudq; vaqvam egisset invitus. Nam etsi directe hanc ignorantiam non voluit, qvoniā

niam tamen principium ignorantiae, ebrietatem nimirum, voluit, ipsam simul ignoranriam indirecte voluisse dicitur. Accedit, quod causa talium actionum non tam Ignorantia sit, quam aliud quid, ut in exemplo priori supina negligentia, in posteriori ebrietas, in aliis inadvertentia, affectuum vehementia, aut simile aliquod vitium, quod habere, quodque carere in nostrâ situm erat potestate. Unde qui ab ejusmodi principio motus agit, *ignorans potius, quam per ignorantiam*, *vel ex ignorantia agere*, perquam subtiliter à Philosopho dicitur 3. Politicor. cap. 2. quæ duo toto cœlo differunt, ut passim explicant Ethici.

## §. X.

Observandum tamen, quod istiusmodi Ignorantia, putata ex ebrietate, vehementia, inadvertentia, aut similibus orta, quamvis non simpliciter excusare, *minuere tamen nonnihil et allevare delictum*, (si non semper, tamen sèpè,) possit. Gravius enim videtur peccare, qui sciens & volens malum committit, quam qui ignorans malum agit, præsertim non facturus, quod facit, si sciret, quid ageret. Sic, ut unicò tantummodo exemplò rem declarerem, mitior illi poena irrogari, imò ignosci interdum planè solet, qui sclopum, quod globò oneratum nescit, potuisset tamen scire, si percunctatus fuisset, displodit, & globò hominem interficit. Ibi enim inadvertentia sive negligentia factum minuit, ut non puniatur tam graviter delinqvens, quam alius, qui datâ operâ hominem interimit. Accedit, quod interdum quis vitium, ignorantiam causans, prospicere vix possit, ut, si quis præter opinionem ineberitur, nesciens naturæ suæ imbecillitatem, aut potius vehementiam; qua-

le quid accedit Lotho, qui, sumtō in majori copia vīnō val-  
dē generosō, cuius non noverat vim, ignorans cum filiabus  
suis rem habuit, sicut legitur Genes. XIX, 33. 35. Unde non  
possimus adeò probare sententiam Pittaci, unius ex septem  
Sapientibus Græciæ, qui duplicitavit pœnam per ebrietatem  
delinquentibus, propter geminum delictum, ebrietatem sci-  
licet, & id, quod per ebrietatem fuerat admissum. Ubi distin-  
gvendum tamen omnino est inter *Ebrietatem* & *E-  
briositatem*. Illa unicum vel paucissimos saltem  
exprimit actus, ubi quis inopinatō & præter spem vitium  
contraxit; & in Virum probum etiam cadere potest. Hæc  
autem perfectum Habitum infert, quando quis saepe, spon-  
te, datāq; operā nimio potu se ingurgitat. Non in hâc, sed  
in illâ connivere Judex potest, si ex ea factum aliquod ma-  
lum promanâr̄. Simile *de Ira* & *Iracundia*  
aliisq; judicium esto.

### §. XI.

Deinde quod ad Ignorantiam Juris spectat, Jus rite  
distingvendum est. Nam *Ignorantia Juris natu-  
ralis nullâ ratione actionem invitam consti-  
tuit*, & *indignos planè reddit delinqven-  
tes veniam supplicij condonatione*. Qvia enim  
DEUS Jus illud omnium hominum cordibus inscripsit, adeò  
ut per Naturam notum sit, à nemine certè, qui compos ani-  
mi est, ignorari id potest, aut debet. Hinc si allegetur à  
reo criminis talis ignorantia, exempli gratiâ, si homicida  
excusare velit ignorantiam generalis illius præcepti Juris;  
alterum non esse lædendum, invitum propterea factum  
de-


declarari & impunè dimitti non debet, qvia maleficus  
meros dolos fingit. Qvòd si tamen per Jus Naturale  
intelligas etiam *conclusiones remotius inde de-*  
*ductas*, *peculiaribusq; implicatas circum-*  
*stantiis*, tum, licet actio invita planè non efficiatur,  
*excusabilis* tamen *quod antenius* redditur, si præ-  
fertim tam longè abeat à communissimis naturæ principiis,  
ut aliquid non deprehendat earum à primo fonte deductio-  
nem. Præterea fieri potest, ut quædam *circumstantia*  
dubium aliquod circa Jus Naturæ moveat, qvō casu rursus  
*non omnis excusatio deneganda* est. Sic, nemi-  
nem esse lædendum, multò minùs occidendum, de Jure qvi-  
dem naturæ est, & neminem fugit. Si tamen offendat for-  
tè qvis lethaliter vulneratum, precentem, ut interficiatur,  
qvò dolores illi ineffabiles cessent, & alter ipsius petito sa-  
tisfaciat, pœnâ, non quidem ordinariâ, sed mitiori plecten-  
dus videtur, propter circumstantias illas accedentes.

## §. XII.

Ita & *Ignorantia Juris Positivi* actio-  
nem invitam & veniâ dignam non reddit,  
si scilicet Jus illud, & quidem verbis claris ac perspicuis, fue-  
rit promulgatum apud eos, quos obligat. Si verò Lex po-  
sitiva non sit promulgata, aut ad omnium notitiam non per-  
venire potuerit, veniam contra eam delinqvens facile con-  
seqvi potest. Exemplum præbet Jonathan, i. Sam. XIV. qui,  
quoniam Saülis Patris edictum, de non capiendo cibô per  
illum diem, scire non poterat, (confluxerat enim cum hoste,) capi-

capite qvoqve plectendus, uti qvidem statuebat Pater, non erat. Addendum præterea, qvòd hæc ignorantia eos tantum culpæ subjiciat, qvi Legis conditori subsunt; vel etiam, qvi ad tempus mercandi, aut peregrinandi gratiâ in ea provincia degunt. Reliqvis enim extraneis impunè Jus illud ignorare licet. Porrò *Ignorantia Juris particularis eos culpæ & pœna reddit obnoxios, ad quos Jus illud spectat*, supposito iterum, qvòd omnibus, qvorum interest, clarè propositum fuerit. Tandem *Ignorantia facti*, si caret omni dolo, & nostrâ non est accersita culpâ, & delinqventem insuper vera admisiſi facinoris capit pœnitudo, *actionem reddit omnino invitam, Et idcirco etiam omnes, jure talem prætendentes ignorantiam, Judicis simadversionem effungiunt.*

SOLI DEO GLORIA.




05 A 1334



WOM



**Farkarte #13**



33

De  
QVÆSTIONE ETHICA:  
**Qvousq; Violentum**  
& Ignorantia Actiones homi-  
num Invitas reddant &  
excusent?

*Ad diem V. Aprilis, DEO dante,  
publicè disputabunt*

PRÆSES

M. JOHANNES Müller/

&  
RESPONDENS

CONSTANTINUS 3JEGRA/  
WITTEBERGA-SAXO.

WITTEBERGÆ,  
Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. LXXVI.